

**www.e-rara.ch**

**Roberti Bellarmini Politiani S. R. E. Cardinalis Solida Christianæ Fidei  
Demonstratio**

**Bellarmino, Roberto Francesco Romolo**

**Antverpiæ, M. DC. XI.**

**Zentralbibliothek Zürich**

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-149054>

Caput VIII. De nomine proprio, gente, sede, doctrina miraculis, regno, & praelijs antichristi.

---

**www.e-rara.ch**

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

---

**Nutzungsbedingungen** Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

**Terms of Use** This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

**Conditions d'utilisation** Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

**Condizioni di utilizzo** Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

fic argumentatur: Scimus Antichristum venturum in fine mundi: at nunc videmus iam adesse multos eius præcursores, siue minores Antichristos: ergò signum est certum, hanc esse nouissimam horam, siue ætatem. Denique idem habetur ex communi consensu Patrum. Ex hoc signo coniuncto cum superiori efficitur demonstratio insolubilis: Nam si continuo post mortem Antichristi mundus finietur, & Antichristus non viuet, postquam apparuerit, & regnare ceperit, nisi tribus annis cum dimidio: ergo non apparebit nec regnare incipiet, nisi tribus annis cum dimidio ante mundi finem. At Papa regnauit iam cum vtroque gladio supra 500. annos; & tamen mundus adhuc durat.

## CAPVT VIII.

### De nomine proprio, gente, sede, doctrina miraculis, regno, & prælijs Antichristi.

*Nomen  
Antichristi.  
Apos. 13.*

*L. 5. c. 30.*

**D**E nomine fatentur omnes, pertinere omnino ad Antichristum verba illa Ioannis: *Et faciet omnes pusillos cum magnis, diuites, & pauperes, liberos, & seruos, habere characterem in dextera manu, aut in frontibus suis; & ne quis possit emere, aut vendere, nisi habeat characterem, & nomen bestia, aut numerum nominis eius: Hic sapientia est. Qui habet intellectum computet numerum bestia, numerus enim hominis est, & numerus eius 666.* Sed de hoc numero plures sunt opiniones. Verissima autem sententia est eorum, qui suam consententur ignorantiam, & dicunt adhuc ignorari nomen Antichristi. Idque duplici ratione probat Irenæus. Prima, quia multa inueniuntur nomina, quæ numerum illum efficiunt: nec diuinare licet ex tam multis similibus, quod sit illud vnum, quod prædictum est. Deinde, quia si Deus vellet hoc tempore sciri nomen eius, per ipsum Ioannem vtiq; id prodidisset. Tria autem nomina in medium attulit Irenæus, *Ευάνθας, Λατῆνος, & ρέτραν*, ex quibus secundum verisimilius esse primo, & tertium secundo, affirmavit, nullo vero modo certum. Notandum autem, nomen Antichristi fore notissimum, cum ille venerit. Nam etiam antequam Christus veniret, Iudei non certo nouerant, quo nomine appellandus esset, etiam si multa de eius nomine Prophetæ prædixerant. Quin etiam Sibylla quædam, vt est in primo libro Sibyllin. carminum, notauerat nomen nominis Christi futuri, ac dixerat esse 888. Et tamen nondum poterant homines ante Christi aduentum dicere, vocandum esse Iesum. Ex his etiam insolubile argumentum sumi potest de Pontifice. De caractere etiam illo duæ, vel tres sunt opiniones: sed ego crediderim positium characterem excogitandum ab Antichristo, sicut Christus habet signum crucis omnibus notum; sed igno-

rari,

rari, quisnam iste sit character, donec Antichristus veniat, sicut de nomine diximus.

De generatione Antichristi quedam probabilia sunt, quedam certa. Primum probabile est, Antichristum de muliere fornicaria nasciturum, non ex legitimo matrimonio. Docent hoc Damascenus, & quidam alij, sed non est certum. Generatio Antichristi

Secundum, Antichristum nasciturum de tribu Dan. Docent hoc multi Patres, & probant ex eo: *Fiat Dan coluber in via, cerasites in semita, &c.* Item ex eo: *Ex Dan audiuimus fremitum equorum eius.* Denique ex eo, quod, vbi signantur ab Angelo duodecim millia ex omni tribu filiorum Israël, omittitur tribus Dan: quod videtur factum in odium Antichristi. Hæc sententia est valde probabilis, propter multorum Patrum auctoritatem, non tamen omnino certum, quia plerique eorum Patrum non dicunt hoc se scire, sed probabile esse insinuant: tum, quia nulla earum Scripturarum contineat. Gen. 49.  
Ier. 8.  
Apoç. 7.

Videtur enim Iacob in Gen. ad litteram loqui de Samson. Samson enim fuit de tribu Dan, & fuit verè Philistæis tanquam coluber in via. Nam vbiq; eis occurrebat, eosque vexabat: & videtur Iacob benè peccati filio suo, cum hæc dicit.

Jeremias autem sine dubio non loquitur de Antichristo, neque de tribu Dan; sed de Nabuchodonosor, qui venturus erat ad Ierusalem euertendam per eam regionem, quæ dicebatur Dan; vt ibid. exponit Hieron. Cur autem in Apoc. Dan omittatur, non satis constat, cum præsertim etiam Ephraim sit omissus, cuius tribus vna est ex maximis. Sunt autem aliqua certissima. Vnum, Antichristum præcipuè propter Iudæos venturum, & ab eis, tanquam Messiam, recipiendum. Alterum, ex gente Iudæorum nasciturum, & circumcidendum, & Sabbathum obseruaturum, saltem ad tempus.

Primum habetur ex Euangel. vbi Dominus Iudæis dicit: *Ego veni in nomine Patris mei, & non recepistis me: si alius venerit in nomine suo, illum recipietis.* Et ex Apóstolo: *Ed, quædã charitatem veritatis non receperunt, vt salui fiant, ideo mittet illis Deus operationem erroris, vt credant mendacio, &c.* Ita exponunt de Iudæis hoc omnes interpretes. Ratio etiam id suadet: nam Antichristus in primis illis se adiunget, qui parati sunt eum recipere: at Iudæi tales sunt, qui expectant Messiam, Regem temporalem, qualis erit Antichristus. Gentiles autem neminem expectant. Sicut ergo Christus primùm ad Iudæos venit, quibus erat promissus, & à quibus expectabatur, ita quoque Antichristus faciet. Ioan. 5.  
2. Thess. 2.

Secundum etiam patet, nam Iudæi nunquam reciperent hominem non Iudæum, aut incircumcisum pro suo Messia. Immo etiam, quia Iudæi expectant Messiam ex familia Dauid, & tribu Iuda, sine dubio Antichristus, licet verè sit de tribu Dan, finger, se esse de familia Dauid. Deinde, omnes veteres id clarissimè docent. Ex his habemus demonstrationem euidentissimam, quod Papa non sit Antichristus. Nam ab anno 606. quo aduersarij dicunt Antichristum venisse, constat nullum Pontif. fuisse Iudæum, nec gente, nec religione, nec villo modo. Constat etiam, Pont. nunquam hæctenus pro Messia fuisse receptum à Iudæis, sed pro hoste, & persecutore præcipuo haberi.

De sede Antichristi vera sententia est, sedem eius fore Ierusalem, non Romam; Sedes Antichristi.

mam; & templum Salomonis, non solum Davidis, non templum S. Petri, aut sedem Apostolicam.

*Apoc. 11.* Prob. ex Apoc. vbi Ioannes dicit, Henoch, & Eliam pugnuros cum Antichristo in Ierusalem, & ibi ab eo occidendos. Et corpora; inquit, eorum iacebunt in plateis ciuitatis magnæ, quæ vocatur spiritualiter Sodoma & Aegyptus, vbi & Dominus eorum crucifixus est. Ita exponunt omnes interpretes.

*Apoc. 17.* Secundus locus est, vbi Ioannes dicit, decem Reges, qui sibi diuidēt Rom. Imperium, & quibus regnantibus veniet Antichristus, odio habituros purpuratam meretricem, id est, Romam, & eam desolatam facturos, atque etiā igne crematuros. Quomodò ergò erit sedes Antichristi, si illo ipso tempore debet eueri, & comburi? Adde, quòd Antichristus erit Iudæus, & eorum Messias, & Rex; ergò sine dubio sedem suam constituet in Ierusalem, & templum Salomonis restituere aggredietur. Nihil enim aliud somniant Iudæi, quàm Ierusalem, & templum; neque vnquam videntur accepturi pro Messia vllum, qui non sedeat in Ierusalem, & templum aliquo modo restituat.

*2. Thess. 2.* Tertius locus est: Ita, vt in templo Dei sedeat. Nam etsi variæ dantur expositiones à Patribus, & quidam intelligunt mentes fidelium, per templum Dei, in quibus Antichristus sedere dicitur, quando eas seduxerit; vt exponit Anselmus: quidam intelligant ipsum Antichristum cum toto suo populo; vt Augustin. exponit: quidam etiam intelligant Ecclesias Christianorum, quas sibi seruire iubebit Antichristus: tamen expositio communior, probabilior, & literatior est eorum, qui docent per templum Dei intelligi templum Salomonis. Nam in primis in Scripturâ noui Testamenti, per templum Dei nunquam intelliguntur Ecclesie Christianorum; sed perpetuò templum Ierosolymitanum: & quod maius est, veteres Patres, Latini, & Græci, per aliquot sæcula, nunquam Ecclesias Christianorum templa vocauerunt, quæ dicuntur Græcè ναοί, vt hoc loco Pauli; sed vocabant ἐκκλησία, id est, oratoria, vt Ecclesias vel domos orationis, vel basilicas, vel martyria. Ratio duplex est. Vna, quia non habebant tunc vlla templa, sed solum in priuatis domibus loca quædam destinabant orationi, concioni, & sacris Missarum celebrationibus. Altera est, quia adhuc vigeat memoria templi Iudaici, ne viderentur Apostoli aliquid simile introducere; & vt distinguerent Ecclesiam à Synagogâ, abstinebant à voce templi. Sicut etiam propter eandem rationem Apostoli in Script. nunquam vocant sacerdotes Christianos, sacerdotes; sed solum Episcopos, & Presbyteros. At, posteaquam fuit euerfa Ierosolyma, & templum incensum, & abolita memoria veteris templi, & sacerdotij passim ceperunt sancti Doct. vt nomine templi, & sacerdotij. Cùm ergò Apostolus scribēs, Antichristum sessurum in templo Dei, diceret aliquid, quod vellet ab ijs intelligi, quibus scribebat, & illi tunc non intelligerent nomine templi, nisi templum Ierosolymorum; certum videtur Apostolum de illo fuisse locutū. Quod etiam confirmatur ex communi Patrum expositione.

*Doctrina Antichristi.* De doctrinâ Antichristi constat ex Script. quatuor esse futura capita doctrinæ eius. Primum enim negabit, Iesum esse Christum; & proinde oppugnabit omnia Saluatoris nostri instituta, vt Baptismum, Confirmationem, &c. & docebit, nondum cessasse Circumcisionem, Sabbathum, & alias legis

ceremonias. *Quis est mendax, nisi qui negat, Iesum esse Christum? Et hic est Antichristus, qui negat Patrem, & Filium.* &c. Deinde, ubi persuaserit nostrum Salvatorem non esse verum Christum, tunc asseret, se esse verum Christum in lege, & Prophetis promissum. *Si quis venerit in nomine suo, illum recipietis;* nimirum pro Mesiâ. Tertiò, affirmabit se Deum esse, & pro Deo coli volet. *Ita, ut in templo Dei sedeat, ostendens se, tanquam sit Deus.* Postremò, se non solum Deum, sed etiam solum se Deum esse dicet: & oppugnabit omnes alios Deos, id est, tam Deum verum, quàm etiam Deos falsos, & omnia idola. *Qui extollit se super omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur.* Et: *Et Deum Patrum suorum non reputabit, nec quemquam Deorum curabit, quia aduersum uniuersa consurget.* Sed quæstio est de intelligentia horum quatuor capitum: Catholici autem simpliciter intelligunt, & ut verba Script. sonant.

1. Ioan. 2.

Ioan. 5.

2. Thess. 2.

Ibid.

Dan. 11.

1. Ioan. 2.

Primum prob. primò ex dictis: nam si Antichristus natione, & religione Iudeus erit, & à Iudeis pro Mesiâ recipietur, certè non predicabit nostrum Christum, sed eum palàm oppugnabit.

Prob. secundò ex eo: *Quis est mendax, nisi qui negat Iesum esse Christum?* &c. Nam omnes Hæretici dicuntur Antichristi, qui aliquo modo negant, Iesum esse Christum: ergò ipse verus Antichristus simpliciter, & omnibus modis negabit, Iesum esse Christum. Et confirm. quia per hereticos Diabolus operari dicitur mysterium iniquitatis, quia occultè illi Christum negant: at Antichristi aduentus dicitur esse reuelatio, quia ipse palàm Christum negabit. Idem docent Patres. Denique prob. quia tempore Antichristi, ob vehementiam persecutionis, cessabunt publica officia, & sacrificia diuina. Secundum patet ex illis verbis Domini, & passim hoc docent Patres.

Tertium prob. ex illis verbis Apostoli, ubi Paulus non solum dicit, Antichristum in templo sedurum; nam etiam nos sedemus in templis: sed explicat modum, nimirum, quod sedebit ut Deus, cui soli propriè erigitur templum. Non enim dicitur in Græco, *ὡς Θεός*, tamquam Deus, sed *ὡς ἰσὺς Θεός*, id est, ostendens, quod sit Deus. Et sic intellexerunt hunc locum omnes veteres. Quartum etiam patet ex verbis Script. & docent ita omnes veteres.

De miraculis Antichristi tria habentur in Script. Primò, multa miracula eum facturum. Secundò, qualia illa erunt. Tertio ponuntur tria exempla. Primum docet Apostolus: *Cuius est aduentus secundum operationem Satanae in signis, & prodigijs.* Et Dominus: *Dabunt signa, & prodigia magna, ita ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi.* Dabunt, inquit, non, dabit: quia non solum Antichristus, sed etiam ministri eius signa facient. Denique: *Et fecit signa magna in conspectu hominum.* Qualia autem erunt, explicat Paulus: *In omni virtute, & signis, & prodigijs magnis.* Porro mendacia signa erunt ratione omnium euasurum, Finalis, efficientis, materiae, & formæ. Finis enim eorum miraculorum erit, ostendere Antichristum esse Deum, & Mesiâ. Causa efficiens principalis erit, pater mendacij, id est, Diabolus. Sic enim ait Apostolus: *Cuius est aduentus secundum operationem Satanae.* Et Patres omnes asserunt, Antichristum futurum in signè Magum: immò Diabolum ab ipsâ conceptione, vel saltem ab infantia, in Antichristo habitaturum, & per eum signa per-

Miracula  
Antichristi.

2. Thess. 2.

Matth. 24.

Apo. 12.

2. Thess. 2.

petra-

petraturum. Erunt etiam signa mendacia ratione materiæ, quia erunt phantastica, & præstigiæ quædam. Videbitur enim excitare mortuos, & sanare ægrotos; sed illusiones dæmonum erunt, non veræ excitationes, aut sanationes.

*Apoc. 13.*

Propter hoc dicitur Antichristus facturum miracula in conspectu hominū, id est, apparentia, & deludentia conspectum hominum, non solida, & vera. Denique quædam erunt mendacia ratione formæ, licet veræ ratione materiæ; quia interdum res veras operabitur, sed quæ non superabunt vires totius nature; & ideò non veræ miracula erunt formaliter. Vera enim miracula sola dicuntur illa, quæ à solo Deo fieri possunt; id est, quæ non habent causas naturales, neque occultas, neque manifestas. Et ideò non solum in conspectu hominum, sed etiam in conspectu dæmonum, & Angelorum sunt mirabilia: at miracula Antichristi habebunt omnes causas naturales, sed hominibus occultas.

*Apoc. 13.*

Exempla miraculorum Antichristi tria ponuntur in Apoc. Vnum, quòd ignem de cælo descendere faciet. Alterum, quòd faciet, vt imago bestię loquatur. Tertium, quòd finget se mori, & resurgere. Propter quòd miraculum præcipuè totus ferè mundus eum admirabitur. Ex quibus duo priora erunt vera ratione materiæ, non ratione formæ: tertium autem nullo modo.

*Obiect.*

Possent autem obijci, quòd non videantur hæc omnia miracula posse tribui Antichristo. Nam Ioannes in eo loco duas bestias introducit; Vnam quæ habet capita septem, & cuius vnum caput visum est mori, & resurgere: alteram minorem, quæ fecit ignem de cælo descendere, & imaginem loqui. Si ergò Antichristus erit prior bestia, non ei tribuuntur duo illa miracula de igne, & imagine: si erit posterior, non potest ei tribui miraculum resurrectionis.

*Solut.*

Respondeo, priorem bestiam significare vel Rom. Imperium, vel multitudinem impiorum; vnum autem, id est, præcipuum eius caput, quòd visum est mori, & resurgere esse Antichristum. Erit enim Antichristus supremum, & vltimum caput impiorum, & vltimus est Rex, qui imperium Rom. tenebit, tamen sine nomine Rom. Imperatoris. Et hoc fictum miraculum resurrectionis tribuunt antiqui auctores, & Patres Antichristo.

Posterior autem illa bestia, secundum Rupertum, significat eundem Antichristum. Idem enim Antichristus per duas bestias exprimitur: per vnam ratione regis potentis, & tyrannidis, quæ coget homines violenter; per alteram ratione magicæ artis, quæ callidè homines seducet. At, secundum Richardum, & Anselmum, & alios, posterior bestia significat prædicatores Antichristi, qui miraculis ostendere conabuntur, Antichristum verum esse Messiam. Hinc etiam sequitur, Pontificem non esse Antichristum.

*Regnum, & prælia Antichristi.*

De regno, & prælijs Antichristi quatuor in Script. legimus. Primò, Antichristum ex humillimo loco prodeuntem, per fraudes, & dolos regnum Iudæorum adepturum.

Secundò, pugnaturum cum tribus Regibus; nimirum Ægypti, Libiæ, atque Æthiopiæ, & eorum regna illis deuictis occupaturum.

Tertiò, subacturum sibi alios septem Reges, & eo modo Monarcham totius mundi euasurum.

Quarto,

Quartò, cum innumerabili exercitu toto orbe Christianos persecuturum, & hoc esse prælium Gog, & Magog. Et ex his etiam sequitur, Pontificem non esse Antichristum.

De primo sic loquitur Daniel: *Stabit in conspectu eius despectus, & non tribuetur ei honor regius, & veniet clam, & obtinebit regnum in fraudulentia.* In quem locum Hieronymus scribit, quod etsi hæc aliquo modo intelligantur de Antiocho Epiphane, tamen longè perfectius sunt implenda in Antichristo. Sicut, quæ dicuntur de Salomone, intelliguntur quidem de ipso Salomone, sed perfectius impleta sunt in Christo. Qua etiam de causa comparat Daniel Antichristum cum cornu paruulo, nimirum propter ipsius vile, & obscurum principium.

De secundo idem Daniel: *Considerabam, inquit, cornua, & ecce cornu aliud paruulum ortum est de medio eorum, & tria de cornibus eius euulsa sunt à facie eius.* Et infra explicans: *Porrò cornua decem, decem Reges erunt: & alius consurget post eos, & ipse potentior erit prioribus, & tres Reges humiliabit.* Et alibi explicans, qui sint isti Reges tres: *Mittet, inquit, manum suam in terras, & terra Aegypti non effugiet, & dominabitur thesaurorum auri, & argenti, & in omnibus pretiosis Aegypti: Per Lybiam quoque, & Aethiopia transibit.* Idem docent Patres.

De tertio habemus testimonia veterum antiquissima.

De quarto loquitur Ioannes: *Et, cum consummati fuerint mille anni, soluetur Satanus de carcere suo, & exhibit, & seducet Gentes, quæ sunt super quatuor angulos terræ Gog, & Magog, & congregabit eos in prælium, quorum numerus est sicut arena maris. Et ascenderunt super latitudinem terræ, & circuierunt castra Sanctorum, & ciuitatem dilectam. Et descendit ignis de caelo, & deuorauit eos, & diabolus, qui seducebat eos, missus est in stagnum ignis, & sulphuris, ubi & bestia, & pseudopropheta cruciabuntur die, ac nocte, in secula seculorum.* His verbis describitur vltima persecutio. Similia habentur apud Ezechielem. *Porrò de Gog, & Magog nouem sunt sententiæ: sed nostra, quæ est decima, tria continet.*

Primo asserimus, prælium Gog, & Magog, esse prælium Antichristi contra Ecclesiam.

Secundo dicimus, probabile esse admodum, per Gog significari ipsum Antichristum, per Magog exercitum eius. Nam Ezechiel perpetuo Gog vocat principem; & Magog vocat terram, siue nationem.

Tertio dicimus, probabile esse, Gog dici à Magog, non è conuerso; ita vt dicatur Antichristus Gog, quia est princeps Gentis, quæ dicitur Magog. Porro exercitum Antichristi vocari Magog, à gente Scythica, non quod constet ex illis Scythis, quos Iudei fingunt, esse vltra Caucasum, & Caspium mare, sed vel quod magna pars exercitus Antichristi constabit ex barbaris à Scythiâ oriundis, vt Turcis, Tartaris, &c. vel, quod magis reor, quia erit exercitus immanis, & crudelis valde. Quos enim sæuos dicere volumus Scythas vocamus. Nam quod Magog reuera Scythicam gentem significet, patet ex Gen. vbi legimus, filium Iaphet secundum dictum esse Magog, ex quo dicta est Magog regio, quam eius posterii habitauerunt: quam esse Scythiam docet Iosephus, & Hieron. Nam quemadmodum à tribus filijs Cham, id est, Chus, Mizraim, & Chanaham, dicta est Aethiopia Chus, Aegyptus Mizraim, & Pa-

lestina

lestina Chanahan; sic omninò à Magog, filio Iaphet, dicta est Scythia Magog. Quòd autem Ezechiel, nominans Magog, respexerit ad gentem denominatam à Magog filio Iaphet, planum est, quia ibidem adiungit socios ipsi Gog, alias gentes denominatas ab alijs filijs, vel nepotibus Iaphet, vt Gomer, Togorma, Mosoch, Tubal, &c. Concludamus ergò, prælium Gog, & Magog, esse nouissimam persecutionem, quam in toto mundo còtra Ecclesiam Antichristus excitabit.

Obiect.  
Ezech. 38.

Dan. 12.  
Solut.

Neque obstat, quòd Ezechiel dicit, per septē annos cremanda arma Gog, & Magog, cùm tamen constet, post Antichristi mortem non futuros, nisi XLV, dies, vsque ad finem mundi, vt ex Daniele colligitur. Nam Ezechiel non loquitur propriè, sed figuratè, more Prophetarum; nec vult dicere, reuerà per septem annos comburenda illa arma, sed tam insignem cladem futuram, vt longissimo tempore sufficere possent ad ignem fouendum hasta, & clypei hominum occisorum.

Matth. 16.  
Matth. 24.

Porrò scriptores omnes, qui de Antichristi persecutione loquuntur, vt Ezechiel, Daniel, Paulus, Ioannes, & Patres, dicunt, victoriam illius belli, seu persecutionis, penes Ecclesiam tandem futurà. Et sanè ratio ipsa id ipsum docet. Quis enim credat, in eo prælio, in quo totis castris Deus, & Diabolus, Christus, & Antichristus pugnabunt, Deum à Diabolo, & Christum ab Antichristo esse vincendum? Hoc etiam vult Scriptura: *Et porta inferi non preualebunt aduersus eam. Et: Dabunt signa magna, ita vt in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi.*

## C A P V T I X.

### De Ecclesiastica iurisdictione Pontificis.

Quest. 1.

Job. resp.  
Deut. 17.

**Q**VAESTIO prima: *An Papa sit summus iudex in controuersis fidei, & morum diiudicandus?* Hæc questio partim alibi disputata est, partim disputabitur: nunc tamen pro parte affirmatiuà duo adferemus testimonia.

Primum est: *Si difficile, inquit Moyse, atque ambiguum iudicium esse perspexeris inter causam, & causam, lepram, & lepram, & iudicium intra portas tuas videris: verba variare, surge, & ascende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus, veniesque ad Sacerdotem Leuitici generis, & ad Iudicem, qui fuerit illo tempore, quæsi que ab eis, qui iudicabunt tibi iudicij veritatem, & facies, quodcumque dixerint, qui præsumt loco, quem elegerit Dominus. Quo loco est obseruandum, duas personas distingui, Sacerdotis, & Iudicis; hoc est, Pontificis, & Principis; & quidem Sacerdoti sententiæ pronuntiationem, Iudici Politico executionem demandari. Id, quod in sequentibus verbis explicatur: *Qui autem superbierit nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo ex sententia Iudicis morietur.* Alterum est in Euang. in quo nihil potest clarius dici, quàm quod*